



## **Clypeus Theologiæ Thomisticæ**

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate, de Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non Dissertationem Theologicam de Probabilitate

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Coloniæ Agrippinæ, 1671**

Art. II. Vtrum detur imperium in homine respectu suarum operationum?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78232)

dicens: *Voluntas post electionem, impetum facit ad operationem, & postea utitur*: nam ut interpretatur D. Thomas loco citato, in argumento *sed contra*, per impetum intelligit imperium.

31 Secundo: Electio & usus circa idem versantur: At licet in ordine reflexo possit dari electio de imperio, distincta ab electione de mediis, si expressè à voluntate appetatur in ordine ad finem, in ordine tamen directo, non datur electio de imperio, sed solum de mediis: Ergo licet in ordine reflexo, possit dari usus ab electione distinctus, applicans intellectum ut imperet, in ordine tamen directo talis actus non exigitur.

32 Confirmatur: Voluntas non solum utitur intellectu ad imperandam, sed etiam seipsa ad eligendum: At tu voluntas in ordine directo se ad electionem applicet, non requiritur actus ab intentione distinctus: Ergo ut applicet intellectum ad imperandum, non est necessarius actus ab electione distinctus.

33 Tertio: Si ad actum imperij praequireretur usus aliquis activus ex parte voluntatis, ab electione distinctus, deberet ex parte intellectus præcedere aliud imperium, regulans huiusmodi usum: Sed hoc dici nequit, alioquin ad istud imperium requireretur alius usus, & sic in infinitum: Ergo nec illud. Sequens probatur: Non aliaratione probatur necessitas imperij, distincti à iudicio regulante electionem, ad applicandum potentias, exequentes ad opus, nisi quia ad ralem applicationem requiritur actus ab electione distinctus: Ergo si ut applicetur intellectus ad imperium, necessarius sit usus distinctus ab electione, requireretur etiam imperium à iudicio regulante electionem distinctum.

34 Hæc ergo solutione prætermittens, melius respondetur ad argumentum, concessò Antecedente, negando Consequentiam & paritatem. Ratio discriminis est, Primum quia in exequendo major reperitur difficultas, quam in imperando: unde licet voluntas ad applicandas potentias exequentes ad opus, novo actu ab electione distincto indigeat, non tamen ad applicandum intellectum ad actum imperij. Secundo, ideo in voluntate ponimus actum distinctum ab electione, ut exequatur, & applicet potentias inferiores ad suas operationes; quia in mediis, ut ad ordinem executionis spectantibus, diversa est ratio appetibilitatis, quam supra explicuimus, quæ ratio, cum de imperio non militet, non est cur actus ab electione distinctus, necessarius sit, ut voluntas applicet intellectum ad imperium, sed ipsa electio, non præcisè quatenus est acceptio unius præ alio, sed quatenus ex vi prioris intentionis habet vim movendi intellectum, habebit rationem ulus virtualis in ordine ad actum imperij. Idem eam proportionem dicendum est de intentione, respectu consilij: nam illa est simul formaliter intentio, & virtualiter applicatio intellectus ad consultandum de mediis.



## ARTICVLVS II.

*Verum detur imperium in homine respectu suarum operationum?*

§. I.

*Præmittitur quod apud omnes est certum, & conclusio affirmativa statuitur.*

CERTVM est, & constat ipsa experientia, imperium inter ipsos homines exerceri, quando unus est superior & prælatus, alter inferior & subditus: unde solum difficultas est, an præter illud imperium, quod regale & politicum appellatur, & ponitur in Principe vel Prælate ad gubernandos inferiores & subditos, aliud sit constituendum in quolibet homine, quò intellectus ex impulsu voluntatis denuntiet aliis potentis quid faciendum sit, ipsasque ad operandum moveat. Negat Vazquez hic disp. 49. cap. 4. & Suarez lib. 1. de legibus cap. 4. num. 11. & disp. 16. metaph. lect. 6. Affirmant verò Thomista, & plures alii. Cum quibus

Dico, imperium non est solum constituendum in hominibus, respectu aliorum sibi inferiorum & subditorum, sed etiam in quolibet, respectu sui ipsius, suarumque operationum. Ita D. Thomas 2. 2. quæst. 83. art. 1. ubi ait: *Ad rationem pertinet non solum imperare inferioribus potentis, & membris corporis, sed etiam hominibus & subditis*. Quibus verbis duplex imperium in homine agnoscit, unum politicum, in ordine ad alios homines sibi inferiores & subditos; & aliud monasticum, in ordine ad potentias inferiores, & membra corporis. Unde hic quæst. 17. art. 1. sic habet: *Tunc demum voluntas aliquis incipit vti, exequendo imperium rationis: quandoque quidem voluntas alterius, cum aliquis imperat alteri: quandoque autem voluntas ipsius operantis, cum aliquis imperat sibi ipsi*. Et articulus sequentibus docet actus voluntatis, appetitus sensitivus, & membrorum exteriorum, subdi imperio rationis, & posse ab illa imperari. Idem colligitur a D. Augustino libro 8. confess. cap. 9. ubi sic ait: *Imperat animus, & movetur manus; & tanta est facilitas, ut vix à servitio discernatur imperium*.

Favet etiam Aristoteles 6. Ethic. cap. 10. lect. 37. apud D. Thomam, ubi synesim vel sagacitatem distinguit à prudentia, quia synesim vel sagacitas est iudicativa, prudentia verò præceptiva. *Non autem* (inquit) *idem sagacitas & prudentia: prudentia namque præceptiva est, finis enim ipsius est, quid nam sit agendum aut non agendum præcipere; sagacitas verò iudicativa est solum*. Unde cum agat sibi de prudentia monastica, quæ ordinatur ad proprios actus, & quæ ut ibidem cap. 8. *querit atque prospicit proprium bonum, sentit finem huius esse, quid sit agendum vel non agendum hominiliam habenti præcipere, ac proinde imperium dari in homine respectu suarum operationum, & non solum respectu alterius hominis sibi inferioris & subditi*.

Næque valet quod ait Vazquez, Aristotelem per præceptum non intelligere proprie actionem imperandi, sed iudicium quò prudentia præscribit id quod agendum est, in quo se habet iustar magistri imperantis & præcipientis; &

addit in hoc sensu forsan posse interpretari D. Thomam. Non valet, inquam, in primis enim cum Aristoteles dicat, finem prudentiæ esse, quod agendum sit præcipere, & quod est præceptiva, quod dominatur & jubet, & c., quid absurdius quam per hæc omnia iudicium rationis intelligere, cum sint res nomine & significatione adeo diversæ?

Deinde id ex diametro verbis & intentioni Aristotelis repugnat: ponit enim discrimen inter synesim seu sagacitatem, & prudentiam, quod prudentia est præceptiva, seu præcipit, sagacitas vero iudicativa est, & iudicat, ut patet ex verbis relatis: si autem per præcipere prudentiæ, intelligeret Aristoteles idem quod iudicari, ut vult Vazquez, nullam differentiam constituisset: siquidem diceret utramque esse iudicativam, & iudicare.

Exemplum etiam quod adducit Vazquez de magistro imperante, ipsi non favet: quia in magistro, sicut in quolibet alio, alius est actus quo iudicat, & alius est actus quo præcipit.

Denique D. Thomas aperte distinguit imperium à iudicio practico antecedente electionem ait enim infra qu. 57. art. 6. *Circa agibilia humana res alius rationis invenimus, quorum primus est consiliari, secundus iudicare, tertius est præcipere. Primi autem duo respondent actibus intellectus speculativi, qui sunt inquirere & iudicare, nam consilium inquisitio quedam est: sed tertius actus est proprie practici intellectus, in quantum est operativus. . . & ideo virtuti quæ est boni præceptiva, scilicet prudentiæ, tanquam principali adiunguntur tanquam, secundariæ, eubulia, quæ est bene consiliativa, synesis, & gnomo, quæ sunt partes iudicativæ.*

Probatur etiam conclusio ratione fundamentali. Præter electionem est ponendus in voluntate alius actus, qui dicitur usus activus, sicut probatum est articulo præcedenti: Ergo præter iudicium practicum, quod antecedit electionem, ponendus est in intellectu alius actus, qui dicitur imperium, à quo voluntas dirigatur in actu utendi. Consequentia probatur: cum enim voluntas sit appetitus rationalis, sequens directionem rationis, unicuique actui voluntatis elicitæ, correspondet necessarii in intellectu actus dirigens illum.

Dices: Ad dirigendum actum usus sufficere iudicium illud practicum, quod præcessit electionem, continuatum usque ad executionem, & sic non requiri actum imperii.

Sed contra primò: articulo præcedenti demonstravimus, usum distingui ab electione, eò quod ista sit de medio ut futuro, ille verò de medio ut hic & nunc exequendo: Ergo etiam actus dirigens electionem, distinguitur ab actu dirigente usum. Probatur consequentia: Actus intellectus, regulans actus voluntatis, habent idem objectum ac actus ab ipsis regulati: Ergo sicut in mediis, ut habent rationem eligibilem & exequendorum, invenitur diversa ratio formalis objectiva utilitatis (scilicet utile ut futurum & ut præsens) sufficiens ad specificandum & multiplicandum duplicem actum voluntatis: ita non poterit non reperiri in illis diversa cognitibilitatis objectiva, sufficiens ad multiplicandos duos actus intellectus, scilicet iudicium, & imperium.

Confirmatur: Actus iudicii, ut continuatur post electionem, non proponit voluntati aliquid

A aliud, quam id quod proponebat ante electionem, alias non esset idem actus continuatus, sed diversus: Sed ante electionem vel proponebat solum media ut eligenda, vel si ea proponebat etiam ut exequenda, non proponebat executionem, nisi ut futuram, & veluti distantem: Ergo post electionem non representabit illam nisi eo modo. Atqui (subsumo) actus intellectus proponens voluntati executionem ut futuram & distantem, non est sufficiens ad dirigendum usum voluntatis, qui habet pro objecto medium ut hic & nunc executioni mandandum: Ergo ponendus est alius actus intellectus, qui non potest esse nisi actus imperii.

B Secundo, Posita electione, & iudicio eam dirigente, adhuc est nova difficultas ad operis executionem; unde sæpè contingit aliquem bene iudicare de agendis, & recte eligere, tamen postea in executione deficere, ut ait S. Thomas in 1. 2. qu. 57. art. 6. ad 2. & eligere declarat D. Bernardus lib. 1. de considera. cap. his verbis: *Quoties vis, & incassum? Quoties mores, nec promoves? Quoties conaris, & non datur ultra? eniteris, & non obtines: parturis, & non paris: tentas, & abriperis; & ubi incipis, ibi deficiis, & dum adhuc ordiris, succedunt te? Venerunt filij usque ad partum, & propheta, & vires non habet paruriens.* Ergo ut executio sequatur opus est nova directione rationis præcipiens, quæ dicitur imperium, & nova applicatione voluntatis, quæ usus activa, appellatur.

Confirmatur: Ut executioni mandetur à subditis quod Princeps ab illis fieri debere iudicat, necessarium est præceptum, propter difficultatem quæ est in operis executione. Ergo cum similis, & non minor difficultas sit in eodem homine, respectu suarum potentiarum, ut ab his executioni mandetur quod voluntas eligit, & intellectus conveniens esse iudicat, constituendus erit in eodem intellectu actus imperii, à iudicio antecedente electionem distinctus. Unde pro tribus illis actibus tres ponuntur virtutes in intellectu: pro consilio enim ponitur Eubulia; pro iudicio seu sententia, Synesis aut Gnomo; pro præcepto verò seu imperio, Prudentia, ut videri potest apud D. Thomam loco citato, & 2. 2. qu. 48. & 51, per totam. Quare non valet quod ait Vazquez, hoc scilicet reperiri discrimen inter Synesim & Prudentiam; quod ista est bene iudicativa directæ, deducendo iudicium de agendis per consultationem; illa autem supra iudicium à prudentia factum reflectitur, iudicans rectè & juxta regulas prudentiæ iudicatum esse: Non valet, inquam, Primò quia Aristoteles & D. Thomas locis citatis; per hoc distinguunt Synesim à prudentia, quod illa est bene iudicativa, ista verò præceptiva. Nec obstat quod Philosophus 6. Ethic. cap. 5 dicit prudentiæ esse bene consiliari: quia ut explicat D. Thomas infra qu. 57. art. 6. ad 1. *Prudentia est bene consiliativa, non quasi consilium sit immediatè actus ejus; sed quia hunc actum perficit, mediante virtute sibi adjuncta, quæ est eubulia.* Secundo, quia ad iudicandum reflexè de iudicio prudentiæ, an juxta illius regulas elicitum sit, habitus à prudentia distinctus necessarius non est: sicut ad iudicandum reflexè de actu scientifico. v. g. metaphysicæ; non ponitur habitus distinctus ab habitu ipsum elicente; & sicut etiam non ponimus duplicem habitum electivum, unum ad rectam electionem directam, & alterum ad amorem re-

flexum rectæ electionis, sed idem habitus ad utrumque actum eliciendum sufficit.

Denique suadet conclusio: In principe reperitur imperium in ordine ad alios homines sibi subditos: Ergo & in quolibet homine in ordine ad potentias exequentes. Probatur consequentia: Tum quia sicut Princeps dominium habet in subditos, ita in quolibet homine ratio, adjuncta voluntate, aliis potentiis dominatur. Tum etiam quia sicut in Principe est prudentia politica, ita in unoquoque homine, operante secundum rectam rationem, est prudentia monastica, cujus obiectum est proprium & particulare bonum: Ergo sicut Princeps per prudentiam politicam imperat aliis quod convenit bono communi, sic ratio per prudentiam monasticam imperat inferioribus potentiis quod convenit bono particulari.

## §. II.

*Solvuntur objectiones.*

46 **C**ONTRA istam conclusionem obijciunt primò Adversarij: D. Thomas 2. 2. quaest. 83. art. 10. ait: *Oratio est actus rationis perquam alius quis superiorem deprecatur, sicut imperium est actus rationis, quo inferior ad aliquid ordinatur: At quia oratio est inferioris ad superiorem, nemo potest seipsum orare: Ergo cum imperium sit superioris ad inferiorem, nemo potest sibi imperare; & consequenter constituendum non est imperium in homine respectu suarum actionum, sed solum in Principe aut prælato respectu subditorum.*

47 Respondeo imperium politicum, quod habet rationem præcepti obligantis cum vi coercitiva, parificari cum oratione quod hoc quod est superioris & inferioris; utrumque enim petit distinctionem suppositorum, ac superioritatem unius ad alterum: imperium autem monasticum solum requirit distinctionem potentiarum in eodem supposito, superioritatem unius ad alias.

48 Ad do quod orare & petere, est indigentis ope alterius: nemo autem indigere dicitur illo quod habet in potestate sua, sive per unam, sive per aliam potentiam, & idè eiusdem ad se ipsum orationem non est Imperare verò solum dicit ordinationem & motionem: potentia autem exequentes, quamvis sint in eodem supposito cum intellectu & voluntate, ordinem tamen & motionem possunt ab illis recipere, ac proinde sibi imperio rationis.

Objiciunt secundo: Vel imperium deservit ad movendas potentias inferiores, vel ad movendam voluntatem (Sed ad neutrum conducit: Ergo inutile est. Minor probatur: Cum voluntas sit potentia cæca, potentia verò inferiores non sint intellectuales; tam illa quam ista sunt incapaces percipiendi rationis imperium: Ergo illud ad movendum voluntatem, aut potentias inferiores deservire non potest.

49 Respondeo imperium deservire tam ad movendas potentias inferiores, quam ad movendam voluntatem, sed mediate solum ac movendas potentias inferiores, immEDIATE verò ad movendam voluntatem, ut potentiis inferioribus utatur? unde intimatio imperii sit immediate ipsi voluntati. Nec obstat quod voluntas sit potentia cæca & cognitionis expertis: nam sicut

A oculus videt toti corpori, & non solum sibi, ita intellectus intelligit omnibus potentiis: unde sicut non est necesse, quod pes vel manus videat, ut dirigatur ab oculis, sed oculi vident pro manibus, & pro pedibus? ita non est necesse, quod voluntas cognoscat, ut moveatur ab intellectu ad eliciendum usum, & applicandum potentias exequentes ad opus: nam ut ait D. Thomas hic art. 5. ad 2. licet voluntas non intelligat, tamen ipse homo intelligit, & per imperium sibi loquitur, sibi intimat, sibi que præcipit, ut media voluntate applicet potentias inferiores. Ad do quod, si hoc argumentum valeret, non solum probaret quod voluntas non esset capax intimationis imperii, sed etiam quod esset incapax regulari per iudicium rationis, & ab eo obiectivè moveri? siquidem neque hoc iudicium posset percipere.

B Instabis: Vel imperium est necessarium ad movendam voluntatem quoad specificationem, vel quoad exercitium? Ad neutrum: Ergo inutile & otiosum est, Minor quoad primam partem videtur manifesta: iudicium enim præcedens electionem, cum dicitur media non solum esse eligenda, sed etiam exequentia, sufficiens est ad movendam voluntatem ad executionem mediorum quoad specificationem. Probatur vero quantum ad secundam. Voluntas ratione sui est primum movens quantum ad exercitium: Ergo non potest ab intellectu quo ad exercitium moveri.

Respondeo negando Minorem, quoad utramque partem. Ad probationem primam dicendum, quod licet iudicium electionem regulans, proponat media ut exequibilia, & hic & nunc eligenda? non tamen proponit illa ut electa, & hic & nunc exequentia; unde ad hoc secundum requiritur alius actus intellectus, subsequens electionem, & regulans usum, quem vocamus imperium.

D Ad probationem pro secunda parte, confesso Antecedente, nego Consequentiam: licet enim voluntas sit primum movens, quantum ad exercitium, ac proinde movere quoad exercitium, per se primo illi conveniat; tamen non obstat, quin alicui actui intellectus, hoc secundario, & ex consequenti, ac per participationem à voluntate competere possit. Sicut à pari ordinatio, quæ est propria intellectus, participatur ab alio actu voluntatis, nempe ab electione, ut supra ostendimus, & variis exemplis ex D. Thomâ qu. 22. de verit. art. 13. desumptis declaravimus.

E Dicit: Licet inter duo possit mutua causalitas in diverso genere causæ intervenire, non tamen in eodem genere causæ; At si intellectus per actum imperii moveret voluntatem, quantum ad exercitium, daretur inter illas duas potentias mutua causalitas & dependentia in eodem genere causæ efficientis, cum etiam voluntas intellectum quantum ad exercitium moveat: Ergo &c.

Respondeo distinguendo Majorem; non tamen in eodem genere causæ, respectu eiusdem effectus, concedo Majorem. respectu diversis nego Majorem, & sub eadem distinctione Minoris, nego consequentiam. Nam voluntas per actum electionis movet intellectum ad imperandum executionem mediorum; ipse vero intellectus per actum imperii, efficaciam motivam à præcedenti electione participantem, mo-

## ARTICVLVS III.

*Verum imperium sit actus rationis.  
& quis?*

## §. I.

*Prima difficultas resolutus.*

vet voluntatem quoad exercitium; non ad ipsam electionem, quæ est causa imperij; sed ad alium actum distinctum, scilicet ad usum actiuum, quò potentia externa applicatur ad executionem mediorum.

Si autem quæras, cur voluntas, quæ est primum movens quantum ad exercitium, ad huiusmodi actum seipsam sine interuentu imperij movere non possit?

Respondeo hoc pervenire ex eo quod, licet habeat virtutem ad movendum se, & alias potentias, absolute, non tamen per modum ordinationis; hoc enim est proprium intellectus, cuius est ordinare unum ad aliud, ut magis patebit ex infra dicendis.

Obijciunt tertio: Si imperium esset necessarium ad usum actiuum, sequeretur istum actum non esse liberum, sed necessarium: Consequens est falsum: Ergo &c. Sequela probatur: Necessitas antecedens tollit libertatem ab actu quem antecedit: At si imperium sit necessarium ad usum, inducet necessitatem antecedentem talem actum: Ergo ejus libertatem destruet. Probatur Minor: Necessitas se tenens ex parte actus primi, est necessitas antecedens; unde visio beatificæ necessitat in patria ad amorem, quia ex parte actus primi se tenet, & necessitatem inducit. At imperium se tenet ex parte actus primi regulantis usum, & aliunde ex illo necessario sequitur: Ergo in illum actum necessitatem antecedentem inducit.

Respondedo negando sequela. Ad probationem nego Minorem. Ad hujus verò probationem, distinguo Majorem: necessitas se tenens ex parte actus primi, est necessitas antecedens; si proveniat ex aliquo actu consecuto ad nostram libertatem, & in illa contento, nego Majorem: Si non ita contingat, transeat Major, & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam. Nam licet positò imperiò usus necessario sequatur, & licet imperium se teneat ex parte actus primi; quia tamen ad electionem liberam sequitur, & in nostra potestate constitutum est, hinc fit ut non inducat necessitatem antecedentem, libertati contrariam, sed consequentem tantum, seu infallibilitatis, quæ libertatem comparatur.

Obijciunt quarto: Cum quis intendit, eligit, vel similes actus producit, illos in seipso experitur: Sed actum imperij nullus experitur in se: Ergo talis actus est ficticius.

Respondedo negando Minorem: Licet enim rudes & indocti non experiantur, nec discernant huiusmodi imperium, bene tamen docti & prudentes, quando ad id advertunt. Vnde Prophetæ cum propria anima loquens, & eam determinans & stabiliens in bono, sic ait Psal. 114. *Convertere anima mea in requiem tuam:* & Psalm. 42. *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me: spera in Deo.* Et Augustinus ubi supra, eisdem ad seipsum duplex agnoscit imperium; unum perfectum & efficax, quod semper fortitur effectum; & aliud imperfectum & fluctuans, quod sibi plenè non subijcit mentem. Et tamen advertendum, quod cum talis actus velocissimè transeat, raro ad illum advertimus: sicut etiam, ob eandem rationem, alij actus tam intellectus quam voluntatis, ut dictio, usus actiivus, & similes, non percipiuntur à nobis,

**D**ico primò: Imperium est substantialiter actus intellectus præsupponit tamen necessario actum voluntatis. Ita D. Thomas hic art. 1. & alij Theologi communiter, contra Durandum, Henricum, & Almainum, qui docent esse actum voluntatis, supponentem actum rationis; & contra Gregorium & Richardum, qui volunt esse quid compositum æqualiter ex actu utriusque potentia: in quam sententiam inclinat etiam Suarez lib. 10. de legibus cap. 5. Conclusio autem procedit non solum de imperio monastico, de quo egimus articulo præcedenti, sed etiam de politico, quò princeps & superior imperat sibi inferioribus & subditis, de quo agitur in materia de legibus.

Probatur prima pars: Primò quia imperium est præcipuus actus prudentiæ, ut ex Aristotele & D. Thoma articulo præcedenti ostendimus; unde dicebat olim Architas Pitagoreus: *Exercitium dux regit, navigium nauclerus, mundum Deus, hominem mens, mentem prudentia:* Atqui prudentia est virtus intellectualis, ut docet Philosophus 6. Ethic. cap. 4. & D. Thomas infra qu. 57. art. 4. Ergo imperium est actus ab intellectu elicitus, & in eo receptus.

Dices: Oratio est in intellectu, & tamen religio, à qua procedit, est in voluntate: Ergo licet imperium sit actus prudentiæ, quæ in intellectu residet, non rectè colligitur illud ab intellectu elici, & in eo subjectari.

Sed contra: Licet aliquando contingere possit, quod actus minus principalis & secundarius alicujus virtutis, ut oratio respectu religionis, sit in alia potentia, in qua non est virtus; id tamen non contingit in actu præcipuo & primario, qualis est actus imperij respectu prudentiæ: Ergo ex eo quod imperium sit actus prudentiæ, quæ est virtus intellectualis, rectè inferitur, illud ab intellectu, non autem à voluntate elici.

Probatur secundò eadem pars: Sicut obedire pertinet ad inferiorem, ita imperare ad superiorem; quia correspondent sibi invicem, imperare & obedire: Sed ratio seu intellectus est id quod in homine superius & præstantius est juxta illud Aristotelis 10. Ethic. cap. 7. *Mens est eorum omnium quæ in nobis sunt præstantissima:* Ergo imperare ad intellectum pertinet.

Confirmatur: Lex est quoddam præceptum & imperium: Atqui lex non est actus voluntatis, sed intellectus; unde nomine legis in Scriptura significatur, ut patet ex illo Proverb. 6. *Mandatum lucerna est, & lex lux;* & cap. 8. gubernare & condere leges, attribuitur sapientiæ, quæ in intellectu residet, nam loquens de se Divina Sapientia ait: *Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt: per me Principes imperant, & potentes decernunt iustitiam:* Ergo imperium non est actus voluntatis, sed intellectus.